

I. N. 9.

DISSE¹⁰RATI¹⁰O GRADUALIS,
FAMAM REGIS
EX
ORIENTE
VENTURI,
Breviter expendens,
Cujus PARTEM POSTERIOREM
Suffragante Amplissimo Philosophorum ordine,
In Regia Academia Aboënsi,
Sub PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI atq; CELEBERRIMI,
**D^N. CAROLI ABRAH.
CLEWBERG,**
L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ord.
Publico bonorum examini modeste subjicit
STIPENDIARIUS REGIUS,
MAGNUS LINDELL,
SMOLANDUS.

Ad diem XVI. Julii MDCCLIV.
Loco horisque ante meridiem solitis.

ABOÄ, Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc. Fin-
land. JACOB MERCKELL.

VIRO

Consultissimo atque Speciosissimo.

Dn. DIETERICO ADRIANO
BOISMAN,

Advocato Fisci in Reg. Dicast. Aboëns. Dexterrimo.

VIRO

Consultissimo atque Speciosissimo.

Dn. GEORGIO SALONIO,

Actuario Supremi Reg. Dicasterii Magni Ducatus
Finlandiae Adcuratissimo,

Fautoribus ætatem devenerandis.

In venerabundi animi tesseram, opusculum
hocce, de Fama Regis ex oriente venturi, cir-
ca tempora nativitatis Salvatoris percrebescente,
Vobis Fautores propensissimi, cum omnigenæ felici-
tatis adprecatione, offert, dicat & dedicat

Consultissimorum Nominum Vestrorum

Cultor humilissimus,

MAGNUS LINDELL.



§. IX.



Issertationis nostræ parte priori, fontes unde notitiam venturi Messiae hauserint Judæi, pro viribus, indagare conati fuimus. Sed, cum numerosissima Judæorum natio exiguis Palæstinæ limitibus coerceri non posset, factum est, ut fama nascituri Regis, successu temporis in omnes eas regiones pervulgaretur culti orbis, quibus cum Judæis aliquid intercedebat negotii. Fuerunt nimirum & antiquioribus temporibus per omnes fere orbis habitabilis partes dispersi Judæi, & hac in primis ætate nativitatem Messiae proxime antevertente, nulla fere erat alicujus nominis provincia, quin magnam Judæorum copiam aleret, qui mercaturæ studio, & aliis artibus rem faciebant. Alex. M. amplam Judæorum coloniam in Aegyptum deduxit, pari cum ipsis Macedonibus privilegio & jure illis concessâ, si Iosepho credendum, L. II. contra Appion. p. 1065. Bienio post mortem Alexandri, plures Judæorum myriades

riades in Ægyptum & Phœnicen fuere translatæ, propter seditionem in Syria motam. Novem vero post abductos in Ægyptum captivos annis, eo sponte successit alia multitudo Judæorum, quam vel terræ allexit ubertas, vel liberalitas Ptolomæi, uti cum Josepho tradit Hecatæus Abderita. Quin & Philo lib. in Flaccum confirmat, suo tempore non minus, quam decies centena millia Judæorum in Ægypto habitasse. Per totum autem imperium Rom. dispersi erant Judæi, in Italia, imo etiam in ipsa urbe Romæ habitabant Romanis mixti, & libero gaudebant religionis exercitio, accurrentibus & insipientibus sacra ipsorum Romanis, huc alludente Ovidio L. I. Art. amand. his versibus,

*Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis
Cultaque Judeo Septima sacra viro.*

Tempore Augusti plus quam octo millia Judæorum Romæ degisse prodit Josephus L. I. de Bello Jud. c. 4. Hi a Tiberio & Claudio urbe fuere ejecti, iterumque restituti, eorumque tantus tum Romæ numerus, ut difficulter propter multitudinem urbe possent exigi, teste Dione Cassio L. 60. Hist. Rom. p. m. 666.

§. X.

Per orientem antiquis temporibus magno numero sparsos vixisse Judæos, multa loquuntur. Sacra Scriptura II. Reg. XVII: 6. & I. Chron. V: 26. decem Israëlis tribus in Mediam & finitimas provincias abductas refert, & Josephus Ant. Jud. L. IX: c. 14. tradit, in Mediam & Persiam illas abductas fuisse, cum quibus

bus postea mixti videntur Judæi, qui post captivitatem Babylonicam per totum orientem, præterim Per-
siam Mediamque dispersi, data per Cyrum redeundi Hierosolymas facultate, in illis regionibus manere vo-
luerunt, ut ita Judæi a Salmanassare & postea ex re-
gno Judæ per Nebucadnezarem quamplurimi per o-
rientem dispersi coaluerint. conf. Joh. Jac. Schudt in
comp. Hist. Jud. p. m. 437. & Josephum Ant. Jud. L.
XI. c. 5. Unus instar omnium de Judæorum per va-
rias terras olim sparsorum iuinita multitudine testis
nobis sufficiat ex antiquioribus Philo, verba adducens
Agrippæ ad Cajum Caligulam, quæ ita habent; pro“
Ianca vero civitate, Hierosolyma, patria mea, hæc“
afferre licet, eam esse metropolim non unius regio-“
nis Judææ, sed & multarum, propter colonias inde“
deductas, vel propius in finitimam Ægyptum, Phœ“
nicen, Syriam, tum cæteram, tum eam, quæ Cœ“
le cognominatur, vel longius in Pamphyliam, Cili“
ciam plerasque Asiacæ partes, usque Bithyniam & Pon-“
ti Sinus intimos. Pari modo in Europæ Thesaliam,
Bœotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos,
Corinthumque Peloponnesi partes præcipuas. Nec“
tantum continentis provinciæ plenæ sunt coloniis“
Judaicis, sed & insularum celeberrimæ, Eubcea, Cy“
prus, Creta, ne quid dicam de trans Euphratensi-“
bus. Excepta enim parva parte Babylonis & alia-“
rum præfecturarum, omnes urbes quæ bonum agrum“
habent, a Judæis incoluntur. Lib. de legatione ad Cai.
f. m. 1031. conf. heic Act. Cap. II: 9. seq. Hisce si-
milia tradit idem Philo L. in Flaccum; *Judeos enim
inquis*

inquiens, una regio non capit, propter hominum multitudinem: quam ob rem plurimas urbes in Europe Asiaque provinciis ac insulis incolunt, pro metropoli habentes sanctam civitatem, in qua templum altissimo Deo sacratum est, f. m. 971. Sic nostra ætate in illis etiam regionibus antiquissimi Judæorum cœtus reperti sunt, in quibus omnium minime quæsiti fuissent. Offendit ante annos paucos in media China familiam Judæorum, a multis ab hinc seculis, & probabiliter ante natum Salvatorem jam ibi residentem, Joh. Paulus Gozani Jesuita, de qua ipse exposuit in lettres edifiantes & curieuses, Tom. VII. ep. I. ut nobis auctor est Illustris Götting. Cancellarius, a Mosheim Inst. Hist. Christ. Maj. Sec. I. P. I.

§. XI.

NON igitur a veritate plane abhorrere videtur, quod nonnulli etiam in Hispania ante tempora Salvatoris habitasse Judæos existiment. cont. Joh. Jac. Schudt in comp. Hist. jud. p. m. 447. Sic quoque eos in Germania dudum ante Christi tempora sedes habuisse traditur, in urbibus antiquissimis, Treviris, Vormatia, Ulma, Ratisbona aliisque. Man sagt, ait Lutherus, daß Jüden zu Regensburg gewohnet haben, eine lange zeit vor Christus geburt. In den Tischreden, c. 74. f. m. 421. Similia in Chronicō Spirensi habet Lehmannus. Es sollen, inquit die Juden albereit vor des HERREN Christi geburt in Teutschland und am Rheinstrom gewohnet haben L. V. c. 37 p. m. 472. Quod si jam per Orientem, Ægyptum, varias

rias Europæ partes, totum Romanorum imperium ipsamque Italiam, Romanæque dominationis caput & sedem Romam, hac ætate vixisse Judæos extra dubium collocari potest: sequitur etiam veri admodum simile reddi, hos ipsos Judæos quorum animi expectatione Regis Messiae jam erant occupatissimi, ubique de Rege ex oriente prodituro frequentes miscuisse sermones. Sequitur porro gentes, apud quas degabant, varias, hanc famam ex illorum traditione primo haustram, successu temporis, vera ejus origine deleta, suis oraculis, vel libris Sibyllinis ortum debere, habuisse perswasum.

Præclara & ad rem maxime facientia sunt verba Humphridi Prideaux, Connection P. II: p. 634. And great numbers of them being then settled in Rome, and in the cities of Greece, and the lesser Asia, as well as in other parts of the world, they there frequently spoke among their heathen neighbours of these Prophecies &c.

§. XII.

QUAM vero Judæi per varias orbis partes sparsi, disseminaverant famam, eam magorum in Judæam adventu creuisse dubitari nequit. Israëli, quem, ut peculium sibi delegerat Deus, plus simplici vice, Prophetarum ministerio, ab antiquissimis retro temporibus, ut supra vidimus, prænuntiata fuerat, per hunc Regem extitura salus. Verum & aliis gentibus, ob rationes providentiæ Divinæ soli perspectas, peculiari modo, imminentem ortum tanti sideris revolare

velare Deo O. placuit. Illustria gratiæ Divinæ docu-
menta præ cæteris gens Persarum, sœpius est exper-
ta. Sic insigni Numinis in Persas beneficio factum
esse videtur, quod illi soli in toto orbe, præter Ju-
dæos, veri Dei cultum retinuerint, puriorem saltem
cæteris, licet nugas non paucas miscuerint. Unde
& Pythagoram toto peragratō orbe & religionibus
omnium gentium visis, magorum religione in tuisse
amplexum, e Porphyrio colligimus. Hanc ne ob-
causam, an ob Ahatveri in populum Dei amorem,
tempore captivitatis in urbe Schuschan, tanto Per-
sas favore, Deus tuerit prolequutus, equidem non
definiverim. Interim constat, Deum, 200. annis,
antequam nasceretur Cyrus, revelasse, se hoc un-
dico & Pastore suo usurum, ad reædificandum Tem-
plum & ad vindictam sumendam contra Idololatricos
Chaldæos. Conf. Elaiæ c. XLIV: 28. & XLV: 1. seq.
Quot quantaque magnalia per manus Persarum Me-
dorumque fecerit Deus, abunde docet Scriptura. Ba-
byloniorum, Chaldæorumque fregit idola & profli-
gavit Cyrus: Beli templum Babylonicum postea va-
stavit Xerxes, idemque alia Græcorum templo Id-
ololatrica evertit. Gloriæ vero suæ domum instauran-
dam curavit Deus auctoritate jussuque Cyri Persa-
rum Regis. I. Ezdræ VI: 14.

Sic igitur Christum in carne adventurum illis re-
velavit, per Danielem aliasque, quos inter Zerdusht,
Græcis Zoroastres, qui statim post Cynam vixisse
creditur. Hujus de Rege nostro vaticinium nobis
conservavit Shahrîstâni apud Hyde l. c. p. 383. De
eodem,

endem, & quidem planiora multo, prænunciasse Zerdushtum, testatur Abu'lpharagius Dynast. p. 54. Zoradascht preceptor Magusæorum, Persas docuit de manifestatione Domini Christi, jubens illos ei dona afferre &c. - - vos autem o filii mei, ante omnes gentes, ortum ejus percepturi estis. Cum ergo videritis stellam, abeuntes, quo vos illa dirigat &c. Huc & ea referas, quæ prædixit Zoroastri fere coævus Giamasp, Danielis, ut volunt Persæ, filius, vel potius discipulus: Darii vero Hystaspis consiliarius. Vide Libr. mugi p. 227. Tandem Rex Persarum Pheridûn, Phraates Straboni dictus, qui circa tempora nativitatis Christi vixit, metuque Romanorum inductus, quatvor filios obsides Romæ educando misit. Factum hoc esse perhibetur circa annum XXX. Augusti, X. aut XII. annis ante natum Christum. Post horum redditum fama, quæ Romæ de Rege venturo percrebuerat, antiqua, Persisque notissima vaticinia, denuo in memoriam revocari cœpisse, veritati non ablonum videtur. In primis vero, peculiari Dei revelatione compulsi, Hierosolymam profecti magi, Regem recens natum investigarunt, & Bethlemi eidem munera obtulere sua. Hos vero, ad suos cum reverterentur, ubique Regis hujus disseminasse famam, nullus est dubitandi locus.

§. XIII.

POpulo suo, quod supra observatum, ab antiquis

quissimis retro temporibus, Deus O. Maximus sensim & per partes, variis vaticiniis adventum hujus Regis prænuntiaverat. Idem cum tempus adesset, ut gentes lucis salutaris, per Christum orientis, fierent participes, pro sua summa sapientia, animos gentilium præparare dignatus est variis modis, quo doctrinam Evangelii tanto facilius admitterent. Hoc se facturum etiam per Prophetam Haggæum pollicetur, c. II: 7. „Et commovebo omnes populos, & accedent ad desiderium gentium. Ad Christum nimirum movit gentes, fama hac de Rege venturo, ministerio Judæorum ~~in dæmonem~~ per universum fere orbem viventium, disseminata. Unde non sine singulari Omnisapientis Numinis provida cura hanc Judæorum dispersionem evenisse patescit. Vix est, ait eruditus Motheimius, cur moneam, singulari contigisse hoc supremi Numinis providentia, quæ cum veræ religionis semina, per universum terrarum orbem spargere, tum præcursores veluti quosdam doctrinæ Christianæ ad omnes gentes amandare voluit. Vid. Inst. Hist. Christ. maiores, p. m. 92 Quemadmodum enim per Prophetam Malachiam, C. III: 1. prædixerat Deus; *Ecce mitto angelum meum, & explanabit viam ante faciem meam:* Ita & idem præstítit per Johannem Baptistam, qui ipse se stratorem vocabat Messiæ, cuius esset, alta & elata voce, homines in desertis locis habitantes, ad itinera & vias Regi mox venturo sternendas

nendas & reficiendas hortari, Joh. I: 23. *Via* h. i.
 verum populum Dei designat, meliorem Judæorum
 partem. Ut autem via medium est, quo ad metam
 pervenire datur: ita electum semen Israëlis instru-
 mentum erat, quod Messias adhibere volebat, ad
 regnum suum porro dilatandum, & inter gentes e-
 rigendum. Planari vero hanc viam erat necesse,
 quia inæqualem & angustam reddebat corruptus
 Judaismi status, in primis autem infirmitas hominum,
 qui carnalibus præjudiciis de operibus legis & ter-
 reno Messiae regno ita erant obsepti, ut, nisi ea
 exuerent, ad istud plane inepti essent. Hortabatur
 proinde strator Johannes, ut viam explanarent, h.
 e. Officia illa omnia præstarent, quæ requirebantur
 ad Messiam rite recipiendum & regnum ejus ulte-
 riuss propagandum, confr. Lampe in Joh. I: 23. v. i.
 p. m. 417. Ut vero Deus viam Messiae per Johan-
 nem & meliorem Judæorum partem sternendam cu-
 travit: ita & antea, fama de Regis Messiae adven-
 tu per universum faltem cultioris orbis ambitum
 a Judæis disseminata, viam regno Salvatoris inter
 gentes eriendo parare dignatus est. conf. Es. LXVI:
 18. seqq. Ea autem ætate, qua omnes Judæos fir-
 missima perswasio, ex oraculis Divinis hausta tenuit,
 tempus adventui Messiae destinatum, magis magis-
 que appropinquare, antequam nemo, qui Messiam
 mentiri auderet, inventus fuit, ea, inquam, ætate
 hæc fama in primis invaluit, qua ortus est, quem
 nos

nos colimus & adoramus, JESUS Nazarenus, & qua
idem doctrina & miraculis se Messiam probavit.
Quod cum ita sit, JESUM esse verum Messiam, si-
mulque solido religionem nostram inniti fundamen-
to, fama Regis ex oriente venturi demonstrat,

SOLI DEO GLORIA.

